



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

7. Similitudo Laterum quibus Operum bonorum generibus potissimum
conveniat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

fecti. Hom. 15. in Matth. accendit lumen lucernæ; ita bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ. Hinc ad bona opera alacriter exercenda incitat fideles S. Cyprianus: *Praclara aïens, res & divina est, Fratres carissimi, salutatio, solatio, solatio, um grande credentium, securitatis nostræ salutatio, praesidium, munimentum SPEI, tutela fidei, medela peccati.*

ARTICULUS VII.

SIMILITUDO LATERUM

Quibus Operum Bonorum generibus potissimum conveniat.

QVÆ nam, dicat aliquis, sunt illa Opera, quæ, velut Lateres, Parietem-Spei constituunt? Varia reperitur in sacro Codice, sed primum locum obtinet, laborum in Dei causa susceptorum Tolerantia: aut voluntariam calamitatum perpeffio. *Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem,* inquit Apostolus I. ad Corinth. cetero. Item, *si compatimur & conglorificabimur* ad Romanos VIII. Quæ ferè semper conjungit S. Paulus, ut ostendat tunc demum Murum-Spei in nobis erigendum, cum plurimos labores in patientiâq; lateres divinæ gratiæ nexu copulaverimus. Atque ita colligit ad Romanos VII. eos, qui Christi Patientiam imitantur, fore etiam beatitudinis, & ejus gloriæ participes, ac sic firmiter sperare posse. *Si, inquit, complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus; Si autem, paulo post reperit, mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul vivemus cum Christo.* Et in altera ad Corinthios primo cap. *Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Verissimum est illud: *Per multas operationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Actorum XIV.

QVA

QVA de causa cū in Epist. ad Hebræos idē Apostolus primos gētis suæ fideles collaudasset, q̄ vinctis cōpassi essent, & rapinam bonorum suorum cum gaudio suscepissent, subdit ad Hebr. x. 35. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem, ut voluntatem DEI facientes, reportetis promissionē.* Nolite, inquit, amittere confidentiā. Græca vox emphasis habet, ἀποβάλλετε hoc est, ne abijciatis Spem & confidentiam, quam ex rebus fortiter gestis, & malorum tolerantia: vobis, ut Murum firmissimum erexistis. Erat enim, ut commentatur S. Chrysostomus, magna eorum apud DEUM confidentia, Græcè πρὸς ἐπιτομία. Cujus specimen egregium Paulus ipsemet præbuit, quādo scripsit ad Timotheum: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo, reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex: non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus, secunda ad Timoth. iv.* Tum subnequit in epistola ad Hebræos: *Patientia vobis necessaria est, Græcè ὑπομονήs, cuius loco Latinus Interpres ponit Patientiā, non tantum malorum tolerantiam significat, sed patientem expectationem, quando Spe præmii duramus in malis, & nos rebus melioribus servamus.*

ARTICULUS VIII.

LATERES PATIENTIÆ

Quo-nam Igne coquantur.

DEVM modum exædificandi *Parietem lateritium Spei* exponit, tāquam Sapiens Architectus, Paulus Apostolus, præmittit, se in rerum adversarum tolerantia,